



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

22 In quibus sit potestas leges ciuiles condendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

cautionem, te obligatum esse apponere, & omnia illa impedimenta, quae per se, & ex natura rei obstant, remouere. Caetera vero peragenda sunt ex consuetudine, & modo quo praecipit receptum est. Primum patrem probro, tum ratione superius posita: praecipiens enim finem, consequenter praecipere censendus est, quae ad illius executionem necessaria sunt: aliam non efficaciter habere intendit, sed dimittit procedet: tum exemplis. Si enim die festiuo nolis à lecto surgere, & Ecclesiam adire, sed ludo occupari, peccas contra praecipitum audiendi Missam. Item & obligatus horas canonicas recitare, proicias Breviarium, aut nolis habere, peccas: quia haec omnia sunt media per se, & intrinsece necessaria ad illorum praecipitorum executionem, & sicut tenent supradicti Doctores. Quia ratione dicunt, si aliquis die festiuo, vel nocte proxima te inebriat, prauidens impediendam esse à Missa auditione, peccare cum te inebriat, contra praecipitum audiendi Missam, quia apponit impedimentum per se obitans praecipitum executioni.

Dixi, si die festiuo, vel nocte proxima te inebriat: quia tunc iam censetur moraliter adesse praecipitum, ac prouide efficiam habere remouendi impedimenta obstantia illius executioni. At si antequam dies praecipitum adueniat, vel quasi in proximo sit, te inebriat: vel cibum noxium sumeres ex quo prauideres infirmitatem tibi obuenturam, & impedimentum apponendam recitationi horarum, Missae, & ieiunio; non uideris, tunc aduersus haec praecipitum peccare; quia non uidentur extendi ad media, & impedimenta ita remota: & docet Salas, & Sanchez supra. Adde aliquos Doctores, etiam concedant te inebriantem die, quo est praecipitum audiendi facium, vel recitandi horas, ex qua inebriatione impediatur eorum executio, peccare aduersus haec praecipitum: At admittunt summentem uinum, aut noxium cibum, prauidens ob morbum se omisurum Missam, horas, & ieiunia, aduersus haec praecipitum non peccare, sic Henricq. lib. 9. cap. 25. num. 11. in com. lit. P. quamvis non exprimat, si id faciat eo die, quo uiget praecipitum. At Med. 1. 2. q. 77. art. 7. & in sum. in declarat. 3. praecipitum cap. 14. §. 10. fol. 101. de eodem die loquitur, & dicit non peccare contra praecipitum ieiunij, eum qui iter facit, ut uisita concubinam, seu amicum: vel laborat in uenatione, vel in ludo pilae: prauidens inde fore, ut die illo non possit ieiunare, & Thom. Sanchez lib. 1. sum. cap. 15. referens hanc sententiam, non uidentur ab illa differre. solum enim dicit obligare, ne haec impedimenta in fraudem ieiunij apponantur, hoc est ex intentione uolandi illud: consentit Ioan. Sanchez disp. 54. sect. n. 10. & addit, etiam si fiat ex intentione non feruandi ieiunium, adhuc non peccare, quia illa non est intentio uolandi ieiunium, cum obligat, sed intentio excusandi se à ieiunij obligatione, seu apponendi causam excusantem: quare tunc causam excusantem ab obligatione praecipitum, non uidentur esse contra praecipitum.

Ego uero huic exceptioni acquiescere non possum sicut neque Salas supradicto loco 1. 2. sect. 13. disp. 2. sect. 9. n. 118. acquiescit: imò absolute dicit esse falsam sententiam Medinae, & ab omnibus reprobam, intellige ab antiquis Doctores: (nam recentiores aliqui eam approbant.) Mouet, quia nullam differentiam inuenio inter inebriantem se, & ex proposito dormire uolentem die, quo debet audire Missam, & inter edentem cibum noxium, ex quo prauidet impedimentum esse apponendum, quo minus Missam audire possit, utrumque enim impedimentum aequè obstat praecipitum executioni: si igitur in eo, qui se inebriat, vel dormire uult, omnes admittunt omissionem Missae imputari in causa, ita debet imputari ei, qui cibum sumit, ex quo infirmitas, & impedimentum nascitur, quominus audire Missam possit. Item nullam ferè differentiam inuenio in eo, qui die festiuo uult ludere tempore, quo Missa dicenda est, vel in eo qui uult ludo pilae uel alio labore non necessario, neque honesto occupari: ex quo uolatio ieiunij est sequenda. In utroque enim casu impedimentum apponitur praecipitum executioni per causam, cuius positio nulla ratione honestatur. Neque hoc rigidum, & durum alicui debet uideri, sed rationi multum conforme. Ratio enim dicitur, ut quando uiget praecipitum, vel iam est in pendentem, ut uiget, remoueantur quae illius executionem impediunt, & apponantur quae ad illius executionem necessaria sunt. Quando uero praecipitum non aequè obligat, neque prouide est ut obliget, facilius permitti potest non prohibere causas obstantes illius executioni: & in hoc sensu sustineri potest competentem cibum noxium, uel exercitentur actionem, ex qua actio executio praecipitum Missae ieiunij, recitationis impedienda est, non peccatorem aduersus haec praecipitum si, inquam, illa faciat, non eo die, quo praecipitum occurrit, uel in proximo est, ut occurrit, sed aliquibus diebus antecedentibus.

4 Dices ergo agricola, uel alius officialis non poterit laborare die ieiunij, neque peregrinationem aliquam facere, aut honestum aliquod opus, & ipsum exercere, si inde sciat impotentem reddi ad ieiunandum; & si hoc potest, poterit etiam ludo pilae, & uenationi se committere, quin peccet: uiget etiam illa omnia exercere, sciens impedimentum esse ad auditionem Missae, & recitationem horarum: Haec obiectio prodest secundam

partem nostrae conclusionis, scilicet plura esse impedimenta, quae ex consuetudine, & communi Doctorum sententia apponuntur culpa possunt executioni praecipitum: neque illa sunt censenda impedimenta, sed exemptiones ipsiusmet praecipitum, praecipitum enim ieiunij, uel obligat uacantes orio, non laborantes: quare qui die ieiunij laborat, etiam in labore sibi non necessario, non uidentur comprehensus sub praecipitum. Alias dicendum esset tenent agricolos, fabros lignarios, & ferrarios diuites, quique facile laborem exculare possunt, à labore cessare, ut ieiunium seruent: quod est contra receptam sententiam, ut tradit Ioan. Sanchez disp. 54. in select. n. 14. Eadem ratione peregrinantes, uel se flagellantes, aliisque opera pia exercentes, quibus cum compati non potest ieiunij oblatio, uidentur excusati, sic Ioan. de Tribus, in sum. Confessor. lib. 1. tit. 12. q. 19. & 29. Ariolt. in Enchirid. 2. p. de ieiunio, for. 89. Alenc. 2. par. tit. 18. §. 3. Ioan. Sanchez disp. 54. n. 21. & 22. quia praecipitum hoc solum illum laborem uidentur remouere, qui neque necessarius est, neque honestus. Unde censeo non excusatum eum, qui ludo pilae & uenationi se committit. A praecipitum autem audiendi Missam, & horarum recitatione, cum uiget, censeo excusatum non fore, cum, qui labori quantum uis pro se exerceat: nisi ad illud exercendum obligatus ex charitate sit praecipitum enim illa remouent omnia impedimenta, quae abique graui detrimento tui, uel proximi omitti possunt.

PUNCTUM XXII.

In quibus sit potestas leges ciuiles condendi.

- 1 Certum est hanc in omnibus esse potestatem.
- 2 Haec potestas non est à natura, sed à republica.
- 3 Quia ratione haec potestas sit à Deo.

1 Hucusque de obiecto legis, de eius publicatione, & obligatione, quam inducit, sermone fecimus: pergamus inuestigare causam eius sufficientem.

Primo supponendum est ut omnino certum, esse in hominibus potestatem leges ferendi, quia sine illa communitas hominum gubernari non possent: nam (ut dixit sapiens Proter. 11.) ubi non est gubernator corrumpitur populus; sed gubernator: exercere officium non potest, nisi medijs legibus. Ergo uel ab alio debet illas recipere, uel ipse, si supremus sit, debet illas condere.

2 Hanc autem potestatem ferendi legem nullus habet à natura, quia natura omnes homines fecit liberos, nemini enim potestatem, & iurisdictionem politicam in alium concessit. Restat ergo, ut solum ipsa communitas hominum habeat à natura hanc potestatem: hanc autem habent, eo ipso, quo plures familiae uelint se se inuicem iurare, & inter se vinculo societatis uniri: nam sine potestate ferendi leges, non possunt in pace, & iustitia gubernari, & conseruari. Quapropter per uiam potentiam non potest impediri hanc potestatem. Verum quia communitas indicauit se rectius gubernari posse, aliquo singulari, uel aliquibus, quam omnibus; quia si omnes ad regimen sui concurrerent, esset non leuis confusio, & continua perturbatio: praecipue si esset magna hominum multitudo: ideo totam suam potestatem transtulit in unum, uel in plures aliquos determinatos, qui regere, & gubernare rempublicam possent, potestate ab illa accepta: & in his omnes ferè conueniunt cum D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 3. ad 2. & q. 97. art. 3. ad 3. & tradit Nauarr. in cap. noui. de iudic. notab. 3. num. 119. Castro lib. 1. de lege penali, cap. 1. §. postquam. Suarez lib. 3. de legibus, cap. 2. n. 3. Couarr. pract. cap. 1. conclus. 1.

Ex his inferitur, quodlibet Regem potestatem habere condendi leges à republica immediate: constat ex supradictis Doctores, & deciditur in l. 1. ff. de constitutionib. Principum, & l. 3. §. nouissime, de origine iuris, & tradunt ibi Doctores, & Canonistae in cap. per uenerabilem, qui filij sint legitimi. Ratio est manifesta, quia non habet à propria natura, cum haec omnibus communis sit, & nulla sit ratio, quare magis uni, quam alicui hanc potestatem, & iurisdictionem politicam concesserit. Habet ergo ab ipsamet communitate.

4 Dices habere à Deo immediate, iuxta illud Pauli ad Romanos. Non est potestas, nisi à Deo. & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit; & Ioan. 19. dixit Christus Pilato, Non haberes in me potestatem ullam, nisi tibi data esset desuper, & Prouer. 8. dixit Sap. Per me Reges regnant, & conditores legum iusta decernunt. Secundo si à republica haberet hanc potestatem, esset respublica superior Regi, & posset Regem pro libero hac potestate priuare, quod uideret falsum. Ergo signum est à Deo haberi.

Respondeo omnem potestatem regiam à Deo esse immediate, sed non inde inferri in alio prius immediate, non fuisse, fuit quidem immediate in ipsa communitate, à qua in Regem transiit. Sed haec prioritas non obstat, quominus in Rege immediate à Deo sit potestas, cum quia non est alia potestas in Rege, quam illa potestas, quae fuit in communitate: cum quia implemet Deus sua speciali prouidentia hanc transiitionem, seu successorem ordinauit. Adde supposita potestate in

DE
CASTRO
DALAY
TOM.
LIB.
CIV.

in Rege, Rex gerit vicem Dei, quia quidquid Rex imperat, Deus imperat: ex quo.

Ad secundum nego absolute publicum manere superiorem illo, in quem transiit potestatem, hac enim translatione, obliuiscit se dominum, & se Regi subiecit; sicut si te venderis alicui in seruum, maneres quidem supposita venditione inferior, etsi antea non esses, neque posses facta venditione illum dominum tui priuare: sic proportionaliter in republica contingit, facta scilicet potestatis translatione.

Sed quia hac potestas in variis personis residere potest, ideo expendenda sunt: in quibus dubium est residere. Dubitatur, inquam, primum de Pontifice, & imperatore respectu totius orbis, Rege, & Regina, cui ius regni competit, de communitatibus n. mini subiectis, de aliis qui Regi subduntur, de magistratibus, de parte familias, de marito respectu uxoris. De singulis ergo examinandum est, qua ratione ius habeant condendi leges ciuiles.

§. I.

Quid dicendum de Pontifice, & Imperatore respectu totius orbis.

- 1 Pontificem non habere potestatem condendi leges ciuiles totum orbem obligantes.
- 2 Neque licet decessioni obstat derogatio, quam sapd facit, legum Imperatoris, aliorumque Principum.
- 3 Pontifex in terris sibi subiectis leges ciuiles condere potest.
- 4 Idem dicendum est de Imperatore legitime electo, comparatione regnorum, quae sibi subduntur.
- 5 Extra illa regna non valet leges ferre.
- 6 Bene potest leges ferre obligantes illis in regno, in qua habet directum dominium, tamen si immediate non gubernet.
- 7 Deficientibus legibus propriis, ditionis Pontificia, & Iustitiana, leges imperatoris in causis decidendis obligant, sicut in Hispania, & Gallia.
- 8 Qui negent etiam ex consuetudine non esse obligatos iudices Hispanos sequi ius ciuile deficiente proprio.
- 9 Probabilius credo oppositum.
- 10 Satis rationibus n. 8. adductis.
- 11 Ob transgressionem legum ciuiliu(m) non procedat aduersus ius naturale, nulla pena debetur.
- 12 Quid dicendum cum ius ciuile contrarium est Pontificio ciuili.

Communis, & vera sententia est, Pontificem non habere potestatem ferendi leges ciuiles obligantes totum orbem, neque totum populum Christianum, sed solum habere potestatem ferendi leges obligantes tertiam sibi temporaliter subiectam, sic Bellarm. lib. 5. de Pontif. cap. 2. 3. & seq. Nauarr. cap. nouit. de iudic. notab. 3. n. 19. Couarr. reg. peccat. 2. p. 6. q. 9. n. 7. Molin. tract. 2. de iust. disp. 29. Suarez de leg. lib. 3. cap. 6. n. 3. & 3. p. tom. 1. disp. 48. section. 2. sine. Bonacina disp. 1. de leg. quaest. 1. p. 3. n. 5. Salas disp. 7. de leg. sect. 4. n. 30. & alij plures ab eisdem relati. Et quidem non habere potestatem ferendi leges obligantes infideles, constat ex Paulo 1. Corinth. 14. dicente, de his qui foris sunt, quid ad nos? quasi nihil circa illos Pontifex statuere possit, & in cap. gaudeamus, de diuortis, decidit constitutionibus canonicis non obligari paganos. Ergo a fortiori obligati non poterunt legibus ciuilibus. Circa fideles vero commemorantes in terris Imperatoris, & Regibus aliisque Principibus subiectis, inde probatur, quia huiusmodi Principes habent supremam potestatem ciuilem, & temporalem, in suos subditos, ut constat ex cap. duo sunt, cap. cum ad verum, 26. dist. 1. & cap. per venerabilem, qui filij sunt legitimi, cap. solita de maioribus, & obediens, cap. nouit. de iudic. Ergo Pontifex supremam iurisdictionem non habet, alias derogaret iurisdictioni supremae illorum Principum. Sed sine hac iurisdictione, & potestate non potest leges temporales condere, quae subditos Imperiales, Hispanos, & Gallos, & eorum Principes obligarent. Ergo. Adde Christum Dominum solum spirituales iurisdictionem Pontifici tribuisse, non temporalem, ut fere omnes Doctores exponunt illis verbis dictis Petro, Tibi dabo clauem regni caelorum. Pasee oues meas. Quocirca ut Pontifex temporalium iurisdictionem haberet, sicut reliqui Principes feudales, indiguit illa donatione, quam illi Principes fecerunt, ut constat ex cap. ego Ludouicus, 62. dist. & cap. Constantinus, 96. dist. & cap. fundamenta, de elect. in 6.

2 Neque obstat Pontificem saepe derogare leges Imperatoris, & Principis supremi, ut patet ex cap. vigilanti, & cap. fin. de prescript. & regul. possessor. de reg. iur. in 6. ubi Pontifex abrogauit legem ciuilem permissam prescriptionem cum mala fide: & in cap. cum haberet, de eo qui duxit in matrimon. concedit, & mandat filijs illegitimis praebere alimenta, quae legibus ciuilibus negata erant, Non, inquam, hoc obstat, quia haec leges latae a Pontifice sunt leges canonicae, saluorem animatum spectantes, quando enim Pontifex videt Principes saeculares fere leges aequitatis contrarias, potest, & debet suis legibus abrogare,

sicuti in supradictis exemplis factum est: lex enim illa de prescriptione mala fide fouebat fraudes, & latrocinia, lex item negans filijs alimenta pietati naturali aduersabatur: merito ergo reprobari debebant ab illo, cui animarum cura commissa est. Item quando Pontifex videt Principes saeculares negligentes esse in statuendis his, quae ad rectum regimen suorum subditorum pertinent. ob cuius negligentiam peccata grassantur, poterit ea suis legibus praecae: neque enim hoc est ad ecclesiam potestatem habere temporalem in subditos imperiales, & regios, sed solum habere in illos spirituales potestatem, illorum conscientias spectantem: ratione cuius prouidere, & statuere potest, quidquid necessarium, & conueniens iudicatur: & in hoc sensu Bonifac. VIII. in Extravag. vnam sanctam de maior. & obed. dixit, oportere gladium esse sub gladio, hoc est, temporalem Principum iurisdictionem spirituali Pontificis subijci.

3 Quod vero Pontifex in terris sibi subiectis habeat temporalem iurisdictionem, nemini dubium esse potest, cum spiritualis iurisdictione temporalis non excludat, ut habetur in supradicta Extravag. Bonifac. VIII. Adde Reges & Principes transiisse in Pontificem potestatem gubernatiuum. Ergo & legislatiuam, quae gubernatiuae necessario coniuuncta est.

4 Quod si de imperatore loquamur, constat apud omnes imperatorem legitime electum posse leges ferre in prouinciis, & regna sibi subdita, quia in illis habet supremam potestatem, & iurisdictionem, deciditque in l. 1. C. de vet. iur. conel. & bene à Zenone, C. de quadriens. prescrip. & l. 4. & vltim. C. de legib. Item Imperatores antiqui potestatem habebant condendi leges obligantes totum suum imperium, ut constat ex supradict. leg. & ex toto iure Caesareo, quia auctoritas imperialis constitutus est, & specialiter ex l. 2. C. de ver. iur. emul. ubi dicitur soli imperiali auctoritati leges condere, & interpretari esse concessum: sed eandem potestatem habet nunc Imperator Romanus legitime electus in terris sibi subditis. Ergo. Dixi, legitime electus: nam si caret legitima electione, caret potestate legislatiua, sicuti caret, qui per vim, & iniustitiam regnum occuparet. Contingere autem potest, ut bene dicit Suarez infra referendus, successu temporis populum admittere talem principatum, & tunc ratione consensus populi, potestatem habere legislatiuam. Adde, dum expelli non potest, censendus est illum habere, ne maiora mala prouocant, quae enim maius malum carere populum gubernatione vlt. a, quam permitti gubernari à tyranno, quae à se expellere non potest: & ita tradunt Salas disp. 7. de leg. sect. 12. Molina de iustit. tract. 2. disp. 13. Suarez lib. 3. de leg. cap. 4. num. 4. Bonacina disp. 1. q. 1. p. 3. n. 5. circa med.

5 Nullo autem modo potest Imperator legitime electus extra regna, & prouincias sibi subditas leges ferre, quia non habet potestatem, & iurisdictionem illis in locis: nam vel illam habere debet à Christo Domino, vel iure belli, vel electione populi. A Christo Domino illam non habet: nam si Pontifici data non est, ut diximus, minus censetur Imperatori concessa. Adde nulum reperiri locum in Scriptura, unde talis potestas concessa intelligatur. Ergo sine fundamento hae affirmanda sunt: iure autem belli constat Imperatorem nunquam occupare terras, quae Regibus aliis subditae sunt: quales sunt Hispania, Gallia, & Belgicae, electione tamen minus constat. Ergo non est, unde ceteri debeat, in totum orbem iurisdictionem habere. Adde Pontificem in terris subiectis sibi potestatem temporalem supremam habere, Regem Hispaniae, & Regem Galliae in suo regno, & sic de aliis. Ergo non potest Imperator illam habere: & ita fere omnes Doctores sentiunt, ut videre est in Molin. tract. 1. de iust. disp. 24. 29. & 30. Suar. lib. 3. cap. 7. n. 8. Valq. 2. 2. disp. 53. cap. 2. Bonacina disp. 1. de leg. q. 1. p. 3. n. 5. vers. dixi.

6 Aduerter tamen Imperatorem habere dominium directum in aliqua regna, & prouincias, etsi ab alio, tanquam à supremo domino gubernentur. Nam esto Imperator illa regna per se immediate non gubernet: at recognoscitur à Ducibus illorum regnorum tanquam supremis Principes iure feudi, vel alio simili titulo. Et in his prouinciis, & regnis leges Imperatoris vim, & obligationem habent, & obseruari debent, quamvis non solae: quia possunt habere proprias leges à suis Principibus latas, tradit Bonacina supra Salas disp. 7. section. 8. num. 46. Valquez cap. 2. num. 24. Suarez cap. 8. n. 2. At autem ipsi Principes imperio subiecti possunt imperatoris leges suis legibus derogare: Respondet optimè Suar. ex consuetudine, & & vlt colligendum esse: potuit enim à principio dari illis dominium prouinciae ea conditione, ut legibus imperatoris gubernentur; neque possent aliquas facere, quibus earum obseruantia diminueretur, sed potius foueretur, vel possent dari ea conditione, ut legibus imperatoris gubernentur, cum proprias non haberent: qualiter autem fuerit concessum, colligendum est ex ipso vltu, & consuetudine.

Extra has vero prouincias, & regna leges Imperatoris per se non obligant. Unde non obligant in regno Hispaniae, Galliae, Lusitaniae, Flandriae, & similibus, quia neque Imperator est illorum regnorum gubernator, neque iure feudi, aut alio titulo simili ei subiecta sunt.

7 Sed dicitur quod est, an deficientibus legibus propriis horum regnorum, gubernari debeant legibus imperatoris, in causis, inquam, decidendis.

Et quidem de provinciis Pontifici temporaliter subiectis id affirmandum est, quia ita Pontifex statuit, *cap. 1. de noui operis nuntiat.* quod pro causis spiritualibus decidendis vim habet in tota Ecclesia: pro temporalibus autem solum in rebus temporalibus Pontifici subiectis, sic Suarez *lib. 3. cap. 8. num. 3.* Bonacina *num. 5.* Valquez *disp. 153. cap. 2. Salas disp. 7. sect. 8. num. 46.* Idem dicendum est de regno Lusitanie deficientibus enim propriis legibus, decidendus casus est legibus iuris ciuilibus, non Pontifici, etiam Pontificum contrarium sit *lib. 3. ordinam. tit. 64.* In regno autem Gallie, & in Hispania nullo modo tenentur iudices deficientibus propriis legibus leges ciuiles sequi in causis decidendis, quia in legibus illorum regnorum, nullibi est statuta talis obligatio.

8 Solum est dubium, an ex consuetudine teneantur iudices sequi decisiones iuris ciuilibus deficiente iure proprii regni, prout in Hispania? Negat Suarez *num. 5.* & adducit Gregor. Lopez *leg. 8. tit. 4. part. 3.* Franc. Vazquez *tract. de potest. Pontific. azim. 7. n. 10.* Bernard. Diaz *pract. quest. 144. circa fin. vbi Salcedo. Mouetur, quia non constat de tali consuetudine, quae fuerit introducta deficientibus, vel scientibus, Regibus. Item quia Philippus II. nouissime renouauit l. 1. & l. 2. Tauri, in qua deciditur casus decidendus ille per leges horum regnorum, & non per alias: habetur l. 1. & 2. lib. 2. noua compilat. Quod non videtur dicendum, si deficientibus legibus nostri regni leges ciuiles sequenda forent, item non probatur consuetudo, & vis ex eo, quod iudices frequentius iudicent per leges ciuiles deficientibus propriis, quia id fieri potest non obligatione, sed imitatione, quia scilicet acquiritur proximiores videntur, sed imitatione, quia scilicet acquiritur proximiores videntur.*

9 Verum mihi probabilis est tenentur iudices Hispanos leges ciuiles sequi in causis decidendis, si deficient leges proprias: probat late & eruditè Burgos de Paz in l. Tauri, à num. 520. Anton. Gomez ibi num. 10. Didacus à Castilio ibi verbo, no se ose de ellas, & in l. seq. in verb. pues por ellas, y no por otras, & infra l. 3. verb. se te sigos, col. 8. Mouetur primò quia leges ciuiles sapientissime allegantur in tribunalibus, cum proprias deficientes, & iudices sequuntur: si autem iudices eas non teneantur sequi, nullius vtilitatis esset illas allegare. At videmus, & testatur Burgos de Paz iudices etiam supremos non audere his legibus contraire, nisi cum nostris legibus aduersentur. Ergo ex obligatione habent illas sequi. Secundò ex l. 1. tit. 9. lib. 3. que fuit edita Barcinonae anno 1493. vbi sancitur nullum iudicem effici posse, absque eo, quod iuri canonico, & ciuili per decem annos studuerit: si autem ius ciuile ad causas decidendas non deferretur, etiam deficientibus propriis, vt quid tanta cura apponenda erat in eius studio? Tertio, quia leges ciuiles, quae peccatum non auertunt, in maxima aequitate fundantur. Ergo cum conueniens sit iudices regulam aliquam habere in causis decidendis, ne se periculo errandi exponant, & ex iure regio illam non habent, mutuari debent ab imperiali iure. Et consuetudo ex *cap. fin. de transactionib. vbi cauetur, cum iudex ius expressum non habet in causis decidendis, aequitate causam dirimat, & probat textus in l. quod si Episcopi, in fine, ff. de eo quod certo loco.* Sed ad hanc aequitatem seruandam nullus modus aptior esse potest, quam lex imperialis deficientibus propriis. Ergo. Adde causam decidere ex proprio crebro, praetermissis iuris ciuilibus sanctionibus, errandi periculo non leui est expostus: quod damna textus in l. 1. §. mirabile, C. de ver. iure enunc. c. 1. vbi, & propter ipsam conscientiam, & voluntatem iudicium magis quam legitima auctoritate lites dirimebantur. Quarto non leuiter probatur haec sententia ex praedictio legum Matriti anno 1501. vbi loquens Rex de causis decidendis affirmat decidi debere per ius leges de las partidas, & de los fueros, & ordenamientos, & pragmatias, & por derecho comun. In quibus vltimis verbis ius ciuile intelligitur. Ergo iure ciuili causae decidi debent deficientibus legibus propriis.

10 Neque obstant superioris allegata, solum enim probant, statibus legibus nostri regni, per illas, & non per alias leges decidendas esse causas, vel probant non esse in Hispania causas decidendas per leges ciuiles, & imperiales, deficientibus propriis, tanquam per leges per se obligantes, sed tanquam per solidas quasdam rationes, & aequitates, & rationi naturali maxime conformes. In quo sensu probat Burgos de Paz *num. 546.* ex Hostiensis, & alius, in Gallia vendum esse legibus ciuilibus, cum proprias deficientes: neque contrarium esse textum in *cap. super specia. de priuileg. quia interpretandus est, quod Gallias non vt leges obseruant, sed vt rationes, & decisiones iuri naturali conformes, vel quod non obseruant imperiales extraneas proprias.*

11 Placet tamen mihi sententia Suarez, Gregor. Lopez, & aliorum supra, neminem esse puniendum propter transgressionem legum ciuilibus, si actus non sit contra ius naturale, vel regni: neque contractum fore irritum, etsi à iure ciuili irritetur, si tamen iure naturali, vel regio non irritatur: quia si hos effectus leges ciuiles haberent, obligarent sanè Hispanos, sicuti propriae, quod non est dicendum.

12 Sed aduersus supradicta obstat: quia si deficientibus legibus nostri regni, sequendum est ius ciuile non in vi legis per se obligantis, sed in vi rationis, & directionis iustae. Ponamus iuri ciuili Pontificum esse contrarium. Quod ergo sequendum erit? Suarez *num. 6.* facile ab hac dubitatione leuauit: affirmat namque neutrum ex obligatione esse sequendum, ex consilio, & aequitate Pontificum. Verum Gregor. Lopez *lib. 8. tit. 14. part. 5.* & Salcedo *pract. quest. 144. lit. Castimat* sequendum esse ex obligatione Pontificum. At crederem praefertendum esse iure Pontificio: (loquor de Pontificio ciuili, non canonico.) Mouetur, quia ius Caesareum ideo vocatur commune, quia commune est omnibus regnis, cum proprium deficit. Secundò, quia ius Caesareum permittitur allegari in causis decidendis: at ius speciale Pontificum nullo modo. Tertio, quia ipsemet Pontifex mandat ius Caesareum sequi in suis provinciis, cum proprium deficit. Ergo si Rex Hispaniae idem intendat, & velit, vt deficiente proprio iure commune sequatur, rationabiliter, & iuste videtur procedere.

§. II.

Quid dicendum de Rege, Regina, aliisque subditos habentibus.

- 1 Rex, & supremus Princeps leges ferre potest.
- 2 Aliquando illas ferre non potest independenter à regno.
- 3 Regina si domina est regni, & viro soluta, leges ferre potest.
- 4 Proponitur obiectio, & fit satis.
- 5 Matrimonio adstricta dubium est an gaudeat hac potestate, & el illam integrè transferat in maritum.
- 6 Probabilis est hanc potestatem retinere.
- 7 Solutur ratio dubitandi n. 5. adducta.
- 8 Qui subditos habent ratione domini, & non iurisdictionis, leges ferre non possunt.
- 9 In quo potestas domini, & iurisdictionis distinguantur.
- 10 Communitates perfecta, seu supremam habentes iurisdictionem, leges ferre possunt.
- 11 Secus quae in Principem potestatem transfulerunt, nisi ex privilegio, vel usu contrarium constet.

1 Certum est quemlibet Regem supremum habere potestatem ferendi leges in suo regno, quia habet potestatem gubernatiuam, quae sine legislatiua esse non potest. Bart. in l. ult. C. de legibus. Bald. *cap. 1. de constitut. Nauarr. cap. nouit. de iudic. notab. 2. n. 110.* Suarez *lib. 3. cap. 9. n. 2.* Bonacina *disp. 1. q. 1. p. 3. n. 7.* Salas *disp. 7. sect. 11. num. 51.* & ferè omnes expostores D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 3.

Idem dicendum est de aliis Principibus supremis, qui superiores non cognoscunt quoad temporalem iurisdictionem, quocumque nomine nuncupentur, Duces, Marchiones, Barones, &c. Qui verò superiores agnoscunt, examinare debent, qua ratione illis concessa est facultas gubernandi, & leges ferendi: an, inquam, dependenter à Principe supremo, an independenter ab illo: & pro modo concessionis erit potestas ferendi leges, sic Suarez *num. 3.* Bonacina *supra.* Salas *sect. 8. n. 46.* Valquez *disp. 153. cap. 2. & 3.* Idem cum proportione dicendum est de magistratibus, seu gubernatoribus, quibus regimem provinciae incumbit, possunt enim hi vel ex lege, vel ex consuetudine, vel ex speciali voluntate Principis leges ferre: quia potestas leges ferendi delegabilis est à Principe, cum sit potestas iurisdictionis. Videre tamen debent, quam habeant potestatem, sic praecitati DD. Bonacina, Suarez, Salas *supra.* In Hispania autem nulli gubernatores, Duces, Comites & Dynastae habent potestatem leges ferendi, quia in l. 1. tit. 1. part. 2. expressè illis prohibetur.

2 Adactro tamen aliquando Regem, etiam supremum sit, non habere potestatem ferendi leges independenter à regno: vt dicitur de regno Aragoniae, quod sub hac conditione Regi tradidit gubernandum, cum enim tota potestas legislatiua sit prius in communitate, & ex illa in Regem fuerit translata potuit communitas sub hac, vel illa conditione potestatem tradere, & tunc communitas legislatiua erit simul cum Rege, & Rex cum communitate, ita Suarez *lib. 3. cap. 9. num. 3. & cap. 19. num. 6.*

3 Sed inquires, quid dicendum sit de Regina? Respondeo: si ipsa domina est regni, & matrimonio alligata non est, leges ferre potest, sicuti quilibet alius Rex supremus, quia ratione domini in regnum habet in se potestatem legislatiuam, cum alio modo regnum gubernare non posset. Secundò, quia ipsa femina capax est regiae iurisdictionis, *cap. dilecti, de arbit. cap. ex parte, el 2. de priuileg.* Ergo capax est praecipui actus illius, qui est leges condere. Tertio sequeretur peccatum, qui regnum feminae relinqueret, si quidem tribueret potestatem ei, qui eam exercere non posset. Quocirca Regina regni domina poterit leges condere, & causas cognoscere, & sententias ferre, quia haec omnia non excedunt potestatem sibi concessam, & ita tradant Innoc. & Panorm. in c. dilecti,

DE
CASTRO
PALAO
PONTI
LIVIO

dilecti. Suar. lib. 3. de leg. c. 9. n. 9. Bonac. disp. 2. q. 1. p. 3. n. 8. Salas disp. 7. scilicet. 11. & ferè omnes.

4. Sed objicies, Paulum 1. ad Timoth. 2. dicentem, docere mulieri non permittitur, neque dominari viro, sed cum leges ferat mulier, docet viros, quæ debeant facere, illique dominatur. Ergo non est illi permittitur. Secundò in I. famina, ff. de reg. iur. habetur feminas ab omnibus officiis publicis remotas esse: quare neque iudices esse possunt, neque magistratum gerere. Ergo à fortiori neque leges ferre. Tertio ad ferendas leges, & iudicandum de illarum transgressione, requiritur scientia, & prudentia. Sed hæc femina nequaquam habent. Ergo.

Respondeo Paulum non permittere mulieri docere publice doctrinam fidei, non quia incapax, sed quia est indecens, & indecorum: quæ tamen indecentia non inuenitur in legibus ferendis; siquidem potest ferret legem ferre, & postea voce præconis promulgare. Dominari autem viro in statu matrimonij non permittit Paulus, quia est contra naturam, quæ mulierem in matrimonij vtu, & regimine familiæ inferioriorem efficit: at natura non efficit mulierem inferioriorem homini in gubernatione politica, siquidem hæc potest ab ipsismet hominibus ferre. Ergo.

Ad secundum dicas feminas communes, seu quæ iurisdictionem non habent, exclusas esse ab officiis publicis, non verò eas, à quibus ipsarum officia publica pendent. Adde supradictam legem non posse regis potestati derogare, quia est supra ipsam legem.

Ad tertium casu, quo Regina scientia & prudentia necessaria ad condendas leges, careret, posse defectum supplere consilio prudentum, neque enim omnia per se ipsum gubernator scire potest.

5. Verùm si Regina matrimonio iuncta est, dubitare merito potes, an retineat potestatem condendi leges, vel transcat in maritum necessario. Ratio dubitandi est locus ille Pauli 1. ad Timoth. 2. ubi non permittitur mulieri dominari viro, & 1. Cor. 12. dicitur vir caput uxoris. Si autem ipsa possit leges ferre, & Regem illis obligare, domino autem viro, & caput illius esset: quod non est dicendum. Et confirmo. Primò ratione matrimonij mulier ita est subdita viro, ut vir dominium habeat tam in corpus uxoris, quam in eius voluntatem, ac proinde in omnes actiones, quas exercere potest. Ergo poterit prohibere, ne condatur legem, & à fortiori facere, ne ipse obligetur lege condita. Confirmo secundò ex L. 9. tit. 1. p. 1. ubi habetur dominium regni acquiritur matrimonio: quando scilicet prius matrimonio iungitur feminæ dominium regni habenti. Ergo tunc vir est dominus regni. Ergo potest leges ferre.

6. Nihilominus rependa est communis sententia affirmans stante matrimonio adhuc Reginarum retinere potestatem condendi leges. Primò, quia retinet ius, & dominium regni, cui dominio necessariò sequitur administratio, & gubernatio illius. Ergo leges condere, quibus gubernetur. Quòd autem retineat ius, & dominium regni, inde probatur, quia regnum transfertur non potest sine consensu regni, nullibi autem constat consensisse regnum in hac translatione, aliàs mortua Regina sine liberis, maneret maritus dominus regni: quod est omninò fallum.

Dices, transfertur administratio, non proprietatem, sicuti in dote uxoris transfertur administratio in maritum durante matrimonio, non tamen proprietatem illius. Sed contra: quia neque hæc translatio administrationis fieri potest sine consensu regni, neque regnum censetur consensus præbere in tali alienatione, quia est contra naturam ipsiusmet regni, regnum enim cum in aliquem transfert dominium sui, transfert in illum potestatem gubernationis: nequit ergo vnum ab alio separari. Neque est simile de dote, quæ ad subeunda onera matrimonij data est, & ideo illius administratio penes maritum debet esse: at regnum non ad subeunda matrimonij onera, sed ad regendos subditos concessum est. Ergo.

Adde uxorem habentem ius patronatus præsentare posse sine consensu mariti. Ergo etiam poterit leges ferre convenientes regno, sine illius consensu. Maritus autem tanquam Rex honorabitur, & nomine Regis nuncupandus est, non tamen regimen, & administrationem illius habet: & ita docet Bald. in cap. significavit, de rescripte. n. 3. Tiraquel. de nobilit. cap. 18. n. 3. Greg. Lopez in lib. 8. gloss. 9. in lib. 9. gl. 4. tit. 1. p. 2. Bonacina disp. 1. de leg. quest. 1. p. 3. n. 8. Suarez lib. 3. de leg. cap. 9. num. 10. Salas de leg. disp. 7. scilicet. 9. n. 63. Valquez 1. 2. d. 153. cap. 3.

7. Ad rationem dubitandi respondeo sub diversis ratione virum esse caput uxoris, & illi subditum. Est caput uxoris in his quæ pertinent ad matrimonium, ad domus, & familiæ gubernationem, & educationem filiorum: est tamen uxoris subditus in administratione politica, si uxori comparit ius, & dominium regni.

Ad primam confirmationem dico, virum non habere absolutam potestatem, & dominium in omnes actiones uxoris,

sed tantum in eas, quæ ad regimen familiæ pertinent, ac proinde non potest prohibere, ne leges ferat, neque ipse illis obligetur: lex verò adducta ex parte, est Palazio Rub. relato à Gregor. Lopez supra videatur probare administrationem, & dominium in Regem per matrimonium transfertur: at, ut bene notat Gregor. Lopez in ipsamet lege continetur limitatio, & declaratio: siquidem solum ratione coniugij conceditur marito nomen Regis, & honoris regni.

8. De aliis personis singularibus habentibus subditos ratione domini, videtur alicui leges ferre posse. Verbi gratia maritos respectu uxoris, dominos respectu servorum, patrem respectu filiorum, & totius familiæ. Sed hoc omninò fallum est, nisi possint præcepta imponere, quia ad rationem legis necessariò requiritur potestas iurisdictionis, non domini, & potestas gubernativa reipublicæ, & communis potestatis, non potestas gubernativa alicuius imperfectæ communitatis: qualis est specialis aliqua domus, & familia, & ita docent ferè omnes Doctores, Bart. in l. omnes populi, ff. de iust. & iur. in 1. quest. & in l. imperium, ff. de iurisd. omnium iudic. n. 8. Canonizæ Communitate in cap. cum Ecclesia S. Marie, de constitutionib. & cap. solite, de maior. & obedientia. D. Thom. communiter receptus 9. 90. art. 3. Suar. plures allegans lib. 1. cap. 8. n. 3. & 6. Bonacina disp. 1. q. 1. p. 3. n. 3.

9. In quo autem potestas dominativa, & iurisdictionis distinguantur, optime explicant supradicti Doctores. Primò differunt ex obiecto, quod potestas iurisdictionis respicit communitatem perfectam, quia ad illius politicam gubernationem ordinatur: locus potestatis dominativæ, quæ per se respicit imperfectam communitatem, aut partes illius: communitas autem perfecta non potest esse vna specialis familia, sed multiplex, quia non potest esse communitas perfecta, nisi quæ ex consensu plurium vnicæ est, & sibi sufficiens. Secundò differunt ex fine, quia potestas dominativa solum respicit utilitatem propriam imperantis, vel utilitatem personæ, cui præceptum imponit, vel videtur esse in præceptis latis à patre, domino, & marito circa suos subditos: at postea politica, seu iurisdictionis, non spectat per se utilitatem alicuius personæ singularis, sed rectum regimen communitatis, & bonum illius. Tertio ex origine, potestas enim iurisdictionis residet in communitate, ex eo solum, quod communitati sensu ad componendum vnum corpus politicum coniunguntur: transfertur autem in aliquem non iure nature, sed consensu ipsiusmet communitatis, & pro voluntate ipsius. At potestas domini aliquando est iure nature, per naturalem originem, ut in patre respectu filij, aliquando est iure nature, supposito tamen aliquo contractu, ut in marito respectu uxoris, in ordine ad domus gubernationem, & personarum custodiam: aliquando est ex iure gentium, & civili, ut in domino respectu servi bello capti: aliquando ex contractu, pacto, vel promissione, ut si te vendas in servum, vel totum obedientiam alicui præstes. Quarto differunt in modo cogendi subditos: dominativa enim potestas non potest subditos punire pena sanguinis, non enim licet dominis servare in servos, solum enim moderatum supplicium inferre possunt: at potestas politica potest pena sanguinis subditorum delicta punire, quia totum hoc est necessarium ad vitia coercenda.

10. Tandem restat dicendum de communitatibus per se gubernationem exercentibus. De his ergo certum est, communitates illas perfectas, seu civitates, quæ supremam habent iurisdictionem, qualis est, Veneta, Genuefis, habere potestatem condendi leges per suos subditos, quia non possunt subditos gubernare sine hac potestate, & constat ex l. omnes populi, ff. de iust. & iur. & § sed nature, Inst. de iur. nat. & tradunt communiter DD. Solum advero aliquando hanc communitatem, & rempublicam transfussisse suam potestatem in aliquem Principem, & tunc videndum est, quæ ratione transfussit: quia pro potestate iurisdictionis est potestas leges ferendi: ut bene probat Bald. in d. l. omnes populi, si enim integrè transfussit suam potestatem in Principem, poterit Princeps, Dux seu Marchio nuncupatus leges ferre independenter ab ipsa republica: at si ipsa respublica non integrè, sed diminutè potestatem concessit, eo quod voluit Principem comitari in lege ferenda: neque poterit ipsa respublica sine Principe, neque Princeps poterit sine republica leges ferre. Sic Suar. lib. 3. cap. 9. n. 19. Bonac. disp. 1. q. 1. p. 3. n. 10.

11. Aliæ autem communitates, seu civitates, quæ supremo Principi subdite sunt, & in quem suam potestatem gubernativam integrè transfussissent, nequeunt condere leges aliquas, nisi privilegio Principis, vel ex vtu, vel ex vtu, & consuetudine hoc communitates condere leges, quæ municipales appellatur habetur in § consilium de iure natur. & collitur ex l. leges C. de legib. ubi, neque his quæ specialiter concessasunt civitatibus, vel provincijs, vel oporibus, &c. Requiritur ergo concessio Imperatoris, ut hæc civitates illi subiectæ possint leges ferre. Et in Hispania est res manifesta: nemini enim à Rege concessum est leges ferre, ut traditur in l. 1. tit. 1. part. 1. & l. 8. tit. 1. lib. 7. noua compilat. Ex quo à fortiori constat minores populos quales sunt villa, castra, & similes, nullam habere potestatem condendi

condendi leges tum quia non habent altam & supremam iurisdictionem, quae ad leges ferendas requiritur: tum quia neque forum caularum regulariter habent iuxta. s. d. de excus. re, vel si aliquid habent, est in causis levis momenti, & cum maxima dependentia à ciuitate, vel alio superiore iudice: ita Bonac. & Suar. supra.

An vero possint facere aliqua statuta pertinentia ad rectam & Politicam eorum admittationem, quare leges ciuiles & municipales noncupentur? Affirmat Bar. in d. l. omnes populi. Sylact. ver. lex. g. 4. Marius Burgenfis & alii relati à Salas disp. 7. sect. 14. quia cum commissa sit illis potestas gubernatiua, & legislatiua videtur concessa. At tenendum est cum Bonacina, Suar. & Salas supra non posse facere statuta, quae vim legis habeant, quia hoc est habere integrè potestatem condendi leges: haec res publica, supremam potestatem habens: haec enim nullas alias leges statuere potest, nisi quae ad rectam subditorum gubernationem conducunt, si igitur illi populi minores hanc etiam potestatem haberent pro suis incolis, nullam à republica supra differentiam haberent nisi in extensione subditorum, poterant tamen huiusmodi populi conventiones aliquas facere inter se, quibus in vi contractus obligentur, poterantque aliqua praecipua subditis imponere, sicut potest patrifamilias pro suo domo non perpetua, sed temporalia & quae à principe reuocari poterunt sic Suar. c. 9. n. 17. Bonac. disp. 1. g. 1. p. 3. n. 11. fo. cum d. Th. 7. 90. art. 3.

PUNCTVM XXIII.

In quibus sit potestas canonica leges condendi.

- 1 Pontifex hanc potestatem habet à Christo.
- 2 Non pendet Pontifex in usu huius potestatis à Concilio.
- 3 Neque item pendet à consilio, vel consensu Cardinalium.
- 4 Episcopus in suo Episcopatu leges ferre potest ex potestate à Pontifice accepta.
- 5 Proponitur quaedam obiectio, ob quam sentit Vasquez, Episcopus immediatè à Christo accipere facultatem.
- 6 Satis obiectio procedenti.
- 7 Episcopus electus, & confirmatus, hanc habet potestatem.
- 8 In rebus grauioribus non potest Episcopus inconsulto Pontifice leges ferre, & quae res grauiores dicantur.
- 9 Quando Pontifex consulti non potest, potest dispensare, non legè Pontificiam abrogare.
- 10 Consensu cleri, aut capituli non indiget Episcopus ad legem ferendam.
- 11 Quid dicendum de Archiepiscopo, Patriarcha, aliisque Praelatis Episcopo superioribus.
- 12 Legatus Summi Pontificis non solum pro tempore legationis, sed illo finito leges ferre potest.
- 13 Sanctis Patribus, & Doctoribus non est data potestas condendi legem.
- 14 Concilium videntè Pontifice congregatum absque eius auctoritate, nullam potestatem habet ferendi leges.
- 15 Congregatum eius nomine probabilius censetur non habere potestatem leges ferendi obligantes Ecclesiam, quousque Pontifex eas approbet.
- 16 Quid dicendum de Concilio congregato tempore schismatis, vel mortuo Pontifice.
- 17 A Concilio ad Pontificem datur appellatio.
- 18 Quid dicendum de Concilio provincialibus, nationalibus, & diocesanis.
- 19 Congregatio Cardinalium quae ratione leges ferre possit.
- 20 Remanente vno Cardinali in conclusis, aliis descendensibus probabilius censetur non posse Pontificem eligi ab eo.
- 21 Capitulum Sede vacante non posse leges ferre, quibus probetur.
- 22 Probabilius est leges ferre posse.
- 23 Satis rationibus n. 21 adductis.
- 24 Capitulum videntè Episcopo, nullam videtur habere potestatem condendi leges obligantes etiam ipsos capitulares.
- 25 Tenendum tamen est oppositum, & sit satis rationi contraria.
- 26 Qua ratione Ecclesia collegiata, vniuersitates, collegia, confraternitates leges ferre possint.
- 27 Religiosorum communitates habent potestatem leges ferendi.
- 28 Abbatissa, & Monialium Praefecta, an habeant iurisdictionem.
- 29 Quibus delegari possit à Pontifice potestas leges ferendi pro tota Ecclesia? Proponuntur varii dicendi modi.
- 30 Quid tenendum.
- 31 An feminis hac potestas delegabilis sit.

Nemini Catholicorum dubium esse potest esse hanc potestatem in Pontifice Petri successore, quia illi commissa est potestas gubernatiua Ecclesiae, quae sine legislatiua esse non potest. Habet autem Pontifex hanc potestatem immediatè à Christo Domino: non enim pro solo Petro Dictum Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars I

est, super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, sed pro omnibus eius successoribus: omnibus enim dictum est. Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in caelis: & quodcumque solueris, erit solutum. Ratio est manifesta quia est potestas supernaturalis. Ergo solum à Christo haberi potest. Dices, haberi quidem à Christo sed medio Concilio, seu Cardinalium congregatione. Sed contra, quia Christus non contulit Ecclesiae hanc potestatem, vt in Petrum transferret, sed immediatè contulit Petro, & ex illo in successores deriuatur: c. nouit, de iudic. cap. significasti, de elect. & deciditur in Concil. Trident. sess. 14. c. & alia plura congerit Suar. lib. 4. de legibus, cap. 1. Salas disp. 8. sect. 3. Bellarm. lib. 4. de Roman. Pontif. cap. 23. & seq. Requiritur tamen, vt persona, cui est conferenda à Christo haec potestas, ab omnibus eligatur, quia neque eligitur à Christo immediatè neque iure sanguinis succedit.

2 Ex quo fit manifestè Primo Pontificis potestatem à Concilio non pendere. Tum quia est à Christo immediatè, tum quia Pontifex est supra Concilium etiam generale: tota enim auctoritas Concilii est dependens à Pontifice, vt ostendit Card. Bellarm. 2. de Concil. c. 14. Azor rom. 2. lib. 5. cap. 12. g. 1. Valent. 2. 2. disp. 3. g. 1. p. 7. Molin. de iustit. tract. 2. disp. 21. Salas disp. 7. legibus. n. 25 & 70.

3 Fit secundo, neque pendere Pontificem in usu huius potestatis à Concilio, vel consensu Cardinalium: sine consensu enim ipsorum, imo ipsi contradicentibus potest Pontifex leges valide ferre. Nam pontifex habet eandem potestatem, ac habuit. Petrus cuius est immediatus successor. ed Petrus independentè ab aliis Apostolis potuit leges ferre. Ergo à fortiori Pontifex independentè à Concilio Cardinalium idipsum poterit. Adde nullibi à Christo Domino haec dependentia fuit insinuata, sed potius contrarium, cum soli Petro dictum sit, Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, &c. & satis videtur deusum in cap. cuncta 9. q. 3. vbi dicitur, Apostolica Sedes sine vlla Synodo procedenti, solendi & adadi habuit potestatem. Quare si aliquando Concilium Cardinalium Pontifex expostulat ad leges ferendas, non est ex necessitate, sed ex aequitate, eo quod conueniens est, vt omnes intelligant summa maturitate & prudentia Ecclesiam gubernare & ira teneri late probans Felinus in rubr. de constitutionibus, num. 2. Decius ibi lect. 1. g. 3. & alii, quos refert & sequitur Suarez lib. 4. de legibus, cap. 3. n. 14. Neque vilo modo probanda est contraria sententia, quam pro viribus defendit Andreas Sicalus tractat. de praest. Card. part. 1. quaest. 1. Cardinalis consil. 118. Ioan. Monachus, & Ancharan. in c. super eo de here. 17. 6. Sed nullum pro se adducunt firmum fundamentum, nam illud, quod sumitur ex usu, & consuetudine, praeterquam, quod nulla est, cum saepe Pontifex absque consilio Cardinalium leges ferat, Pontificis potestatem, quae est de iure diuino, adstringere, aut limitare nullo modo potest.

4 Quod si de Episcopis loquamur certum est Episcopos in suo Episcopatu leges ferre posse. habetur expressè cap. 2. de maiorit. & obedient. cap. 2. de consuet. in 6. & radunt communiter Doctores in rubr. & in c. cum omnes, c. cum accessissent, de constitutionibus. Haec autem potestas à Pontifice, tanquam à primo fonte manauit: non enim illam à Christo Domino immediatè acceperunt. Solum enim Petro & eius successoribus dictum est pascite oues meas. Ergo solus Pontifex tam immediatè à Christo recepit, reliqui vero medio Pontifice. Item si à Christo immediatè recipient alii praelati potestatem legislatiuam, non posset Pontifex illorum potestatem minuire, aut tollere, sed esset à Pontifice omnino independens, vt ipse à superiore concessa. Consequens est omnino falsum. Ergo. Denique, quia id est definitum à Leone in cap. ita Dominus, 19. distincti vbi de potestate Petri dicitur, à Christo Domino fuisse illi donatum, vt ab ipso quasi à quodam capite, donat sua velut in omni corpus diffunderet. Et Gregorius in cap. decreto, 2. g. 6. inquit Romana Ecclesia vires suas ita aliis impertit Ecclesis, vt in parte sint vacata sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis; aliaque plura congerit in huius confirmationem Bellarm. lib. 2. de Roman. Pontif. c. 15. & lib. 4. cap. 14. Valent. som. 2. disp. 2. g. 1. punct. 7. Suar. de censur. disp. 1. sect. 2. n. 7. & de poenitent. disp. 16. sect. 3. & Specialis lib. 4. de legib. c. 4. à num. 6. Salas disp. 8. sect. 3. Bonacina disp. 1. g. 1. p. 3. n. 5.

5 Sed obicit primo, Episcopos esse successores Apostolorum cap. in nouo distincti. 2. 1. Sed Apostoli omnes immediatè à Christo acceperunt potestatem legislatiuam. Ergo etiam Episcopi à Christo accipiunt. Confirmo ex verbis Christi Matth. 8. Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in caelo quae non solum ad Petrum, sed omnes Apostolos dicta fuere. Ergo omnes Apostolorum successores habent potestatem ligandi per leges à Christo. Secundo Episcopi constituti sunt à Christo Domino, vt specialiter Ecclesiam gubernarent, quia Pontifex per se, & immediatè toti orbi praesens esse non poterat: quae ratione dixit Paulus Actuum 20. esse à Spiritu sancto positos Episcopos regere Ecclesiam Dei, sed Ecclesiae regi, & gubernari non potest sine potestate legislatiua. Ergo si à Christo constituti fuerunt Episcopi, & Rectores Ecclesiarum constituti fuerunt & legislatores. Tertio Episcopi habent potestatem ordi-

DE
LA
ASTR
PALA
TON
I
E

